



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem
confixione**

Raynaud, Théophile

Lvgdvni, 1653

III. An libri Haereticorum configendi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11141

Series I. Libri mali, & nociui.

Hac prima serie comprehendam in primis libros illos, qui fidei puritatem commaculant, vt libros hæreticorum, & Atheorum: deinde eos, qui ad nefarium cum Satana commercium inuadunt, vt Magicos, hîsque continentes, diuinarios, quos vno nomine S. Lucas *Actorum* 19. *curiosos* vocauit; præterea eos, qui depretiare res sacras ob admisiones friuolas possunt, quales multi Apocryphi, scæterentes fabulamentis, quibus æstimatio veris sacris narrationibus decedit; in quem ferè finem ab hæreticis non pauca sacra historia, conficta, aut admisso fursure vitioso, adulterata nequiter sunt. Addendi denique prædictis libri obscœni, & famosi, vel aculeati, aut saliti supra iusti ac recti mensuram.

14.

EROTEMA III.

An libri Hæreticorum configendi?

Esse configendos hæreticorum libros, negant omnes hæretici, ac nominatim Oecolampadius, in quem agit Vellofillus *in aduertentiis ad tomum 6. Hieronymi*, quest. 9.

Libri Hæreticorum, citra dubium dammandi.

Quicquid verò hæretici pro se, & libris suis solliciti contendunt, nulla planè est, aut esse potest dubitatio, quin hæreticorum libri sint suffixione dignissimi. Si enim viuus sermo hæretici, eiusque alloquium deuitandum est Christiano, (serpit enim vt cancer sermo hæretici, autore Apostolo;) & idcirco allocutiones hæreticorum seuerè damnant Patres, vt Cyprianus *epist.* 55. *ad finem*, & *epist.* 40. n. 16. ac S. Leo *serm.* 18. *de pass.* quanto magis scriptio, quæ non volat, & momento dilabitur vt verbum ore prolatum, sed perstat veluti perennis quidam fons virulentia transmittendæ in infinitos simul mortales, ad quos viuæ oratio nunquam pertigisset? Quòd si hæreticus iam concesserit in Orcum, nec alloqui ultra superstites queat; libris tamen potest etiam iam in Tartaro sepultus, disseminare virus suum: qui proinde multo magis auersandi sunt, quàm ipsius hæretici cadauer. Nam in libro sistitur anima ipsa, & malignitas hæretici. Pulchrè sanè Themistius *orat.* 13. [Animam ego sapientis hominis, illius sapientiam esse arbitror, ac mentem atque sermonem: sepulchra verò eiusmodi animarum, libros ac scripta, in quibus tanquam in monumentis, recondita eorum reliquiæ seruantur.]

15.

Hoc in rem præsentem elegantissimè dixit S. Cyrillus *lib.* 14. *de ador.* tractans quod *Leuit.* 11. habetur, de munditia animalis fissam habentis ungulam pedis, ac ruminantis. Econtra enim, vt addit, [Immundus ex lege est, qui altero caret. Quod verò ab his abscedere oporteat, nullaque ratione eorum participes cerni, declarauit, dicens: *De carnibus non comedetis, & morticina ipsorum non attingetis.* Neque enim cum viuentibus, (inquit,) versabimini. Et si quis fortè

B

huius-

huiusmodi moriatur, propriam mentem puram conseruabit, ne tantillum quidem ea quæ ab ipsis facta sint, attingentes; scripta nimirum & impurorum commentationes; sunt enim hæc, hominis vitæ, reliquiæ. Quod stulti hæretici facere consueuerunt; errarunt enim proculdubio ij, qui ignorantia, qua laborabant, authores ipsi exciterunt, ac veluti reliquias quasdam suæ ipsorum impietatis, discipulorum suorum animis impresserunt. Hi verò ac quidem libenter admodum accedunt, menteque excipiunt, atque ineludibilem in se inquisitionem admittunt; quippè qui cadauerosas quodammodò carnes contrectarint, quæ extremo fœtore, immunditiæque sunt refertæ.]

16.

Non alio ergo loco habendus est hæretici demortui liber, quàm conditorium animæ, & malignitatis, quæ hæreticum præstitit auerfatione, & abominatione dignissimum. Neque enim in hæretico, persona, vel aliud quippiam, horrore esse debet, præter virus doctrinæ, quæ in libro propinatur, & nequitiam ex libri doctrina inhalatam. Non exanime corpus tantum, sed viuum ipsum Doctorem in eius libris superesse, ait Philotheus Constantinop. *orat. de Triade Theologorum, ferè in fine.* Imaginem auctorum in libris agnoscit S. Chrysostomus verbis illis, quæ Gregorius Neocæsariensis Iconomachorum causam agens, adduxit, in VII. Synodo *actione 6.* vocans libros *imagines scriptoria.* [Nos (inquit) per scripta, Sanctorum fruimur præsentia, non sanè corporum ipsorum, sed animarum imagines habentes: nam quæ ab ipsis dicta sunt, animarum illorum imagines sunt.] Optimè ait, imaginem non quidem corporis, sed animæ Sancti, esse librum ab eo editum. Quis autem Catholicus velit imaginem hæretici habere, nisi quo loco imagines primariorum hæreticorum locauit Theodosius, hoc est, in latrinis? Idque signatum à Beza videtur quoad Caluinum; nam eius imaginem, vt cacaturientis, exhibuit: quod notauit Genebrardus in *Chronico.*

Alio schemate fugiendam hæreticorum librorum lectionem, & impendens ab eis exitium, expressit Clemens Alex. *lib. 5. Strom.* verbis illis. [Sed nec omnibus, qui impudenter, & temerè dicunt, & scribunt, oportet aures præbere, nam calices quoque, qui à multis sumuntur per aures, hoc est, anfas, aures quidem amittunt: præterea autem etiam ipsi excidentes confringuntur. Eodem modo ij quoque, qui multis nugis, fidei castam incestarint auditionem, ad veritatem iam tandem obsurdæscunt, & inutiles fiunt, & in terram decidunt. Non ergo temerè pueris præcipimus, auribus eos apprehendentes, vt osculentur eos, qui ad ipsos attinent. (latè de eo osculandi more Lilius Gyraldus *dialogismo 8. osculum sic infixum vocans Florentinum.* Latè item de eo more, Gul. Canterus *lib. nouar. lect. cap. 25.*) hoc vtique tacitè significantes, ingenerari per auditum, sensum dilectionis. Deus autem est dilectio, qui cognosci potest ab iis, qui diligunt: sicut Deus est fidelis, qui fidelibus traditur per disciplinam: & oportet, nos ei effici coniunctos, ac familiares per diuinam lectionem, vt simile sibi contemplerur, purè, & citra fraudem verbum audientes veritatis, instar puerorum, qui nobis obediunt.]

Principum decreta in libros Hæreticorum.

17.

Hoc spectarunt omnibus planè sæculis Christianis, Ecclesiasticæ leges, & Christianorum

Christianorum quoque Principum rescripta, quibus seuerè interdictum legimus, librorum hæreticorum lectione. Constantini Magni in hanc rem lex, aduersus veteres hæreticos, & eorum libros, memoratur ab Eusebio *lib. 3. de vita Constantini cap. 64.* & causas aperuerat *cap. 63.* verbis illis ad impietatis Magistros, & consecratos impiorum librorum autores, [Cognoscite quibus mendaciis, vestra doctrinæ inanitas implicata teneatur; quatenus pestiferis quibusdam venenis, vestra vsque eò inficiatur disciplina, vt per eam integri, ac valentes, ad morbum, viui autem ad sempiternum interitum abstrahantur. O veritatis inimici, hostes vitæ, interneccionis consiliarij, & autores: omnia apud vos veritati contraria, turpibus consentientia, maleficiis, ineptiis, & commentitiis fabulis exultantia. Quibus certè mendacia struitis, premitis infantes, fidelibus lucem denegatis. Nam falsa visione, & specie pietatis, semper delinquentes, omnia contagione vestra contaminatis; conscientias integras & labe vacuas, lethalibus plagis vulneratis, ipsum diem, (penè dixerim,) hominum oculis adimitis. At quid attinet singula persequi, cum de vestris flagitiis sicut eorum natura postulat, dicere, temporis angustia non sinant? Nam scelera vestra adedò grandia, adedò immensa sunt, adedò etiam turpia & omni crudelitate redundantia, vt dies integer ad ea explicanda non sufficeret. Imò verò ab huiusmodi rebus aures abducere, oculosque auertere conuenit, ne singulorum explanatione, syncera & incorrupta fidei nostræ professio, commaculetur.]

Eiusdem Imperatoris edictum in hanc rem sanè luculentum extat apud Socratem *lib. 1. cap. 6.* In eo Imperator, *gregis nostri*, (vt Theodoretus scitè dixit,) *Zorobabel*, eandem Arrio, quam Porphyrio, ignominia notam iniustam vult; vt quemadmodum capitalis ille Christianæ religionis hostis, conscriptos in eam suos nefarios libros igni adiudicatos viderat; sic Arrij libri impietate nihilo minores, eadem sorte essent, & nullum eiusdem monumentum relinqueretur ad posteritatem. Quòd si quis librum ab Arrio compositum occultasse deprehensus esset, nec illum statim in medium productum iniecisset in flammam, eum mox vt esset comprehensus, capite mulctandum edixit Imperator piissimus.

Memorant edictum illud, & ad Nestorij, ac Nestorianorum libros extendunt, Theodosius, & Valentinianus AA. *l. damnato, C. de hæretic.* & plenius *tomo 5. Concilij Ephesini c. 13. & 14. & c. 19. ac 20.* Laudat verò illud Theodosij, ac Valentiniani in Nestorianos edictum, Pelagius Pontifex *epist. ad Episcopos Istriae.* Nec zelo minore Valentinianus, & Marcianus *l. quicumque, C. eodem, & l. quoniam, de Episc. & Cleric.* aduersus Eutylianorum, & Apollinaristarum libros, & sacrilega, (vt vocant,) scriptorum monumenta armati sunt; ea enim quisquis haberet, aut seruaret, perpetua deportatione damnarunt, ipsos verò libros ignibus tradi, & flammis obliterari peruersitatem, sanxerunt. Quam etiam pœnæ iustissimam seueritatem, in rescripto ad Palladium Præfectum prætorio, ad eos porrigi voluerunt, qui docendi studio, vel discendi, nefaria illa scripta legenda cuiquam tradidissent; idque ratum præterea habuerunt in epistola ad Constantinopolitanos ciues, de Synodi Chalcedonenfis firmitate tenenda, iuramento in Constantini Magni edictum digito. Meminitque etiam eiusdem edicti Iustinianus, ea lege, qua Anthimi hæretici in V. Synodo *actione 1.* damnati, & Seueri secundum nomen suum *Acephali*, impios libros ignibus addicit, pœna

18.

truncationis manum, imò & capitis, (ait Nicephorus *lib. 17. c. 9.*) iis intentata, qui tale quicquam scripissent, exscripissentve. Extat Nouella 42. De vetitis Manichæorum, & Montanistarum libris sub pœna capitis, meminitque Petrus Siculus *in historia de Manichæis*, laudans eam ob causam Christianos Imperatores. Et similia de Manichæorum libris, habet Cedrenus *in compendio hist.* ac *in Panoplia* Euthymius.

Caroli Magni edictum aduersus libros hæreticos, habetur *lib. 1. Capitul. c. 78.* Plurima talia edicta congeffit Photius *in Nomocanone tit. 12. cap. 3.* Mandato Tiberij Imperatoris librum Eutychie Constantinoiitani hæreseos materialis conuicti, crematum esse, scribit S. Gregorius XIV. *mor. c. 32.* vt proinde immeritò Eustathius Presbyter *in actis S. Eutychie* eum purgans, criminatores notet calumniæ. Quod ipsemet S. Eutychie retractans errorem, falsitatis arguit. Item Constantinus Monomachus, iussit coram se ignibus tradi librum Nicetæ Peëtorati, Monachi, quem Humbertus Cardinalis Syluæ candidæ, & Petrus Amalphitanus Archiepiscopus, Legati Romani, hæresibus factum demonstrarant. Edicto Recaredi Regis ex Ariano Catholici, libris omnibus hæreticorum subiectum ignem, autor est Aymoinus *lib. 3. de rebus Francor. c. 77.* & Autor Appendicis ad historiam Francorum Gregorij Turonensis *num. 8.* Edictum Caroli V. Imperatoris, de libris hæreticorum igne cremandis, habetur apud Cochlæum *lib. de actis Lutheri, anno 1540.* sic igitur se gesserunt contra libros hæreticorum Principes seculares.

Autoritas sacra, contra libros Hæreticorum.

19. Vt minùs mirum sit, Ecclesiæ Præfules, & sacra Concilia, quorum sunt hæ partes primæ in librorum hæreticorum delerionem omnimodam, tanto studio incubuisse, ab omni æuo Christiano. Nam Concilium Nicænum I. Arii *Thaliam*, opus non modò hæreticum, sed etiam planè spurcum, & dignum serofæ illius factum, vt Sozomenus *lib. 1. cap. 20.* & Niceph. *lib. 8. cap. 18.* autores sunt, abditum voluit. S. Alexander Episcopus Alexandrinus, sub finem illius insignis epistolæ aduersus Arrium, quam exhibet Theodoretus *lib. 1. histor. cap. 4.* omnia Arii, & Achillæ ac complicum scripta proscribi vult, eo quòd veritatem loqui nolint: omnia autem non secus, ac præstigiatores ementiantur. Eodem æuo Pachomius, ex sensu tunc Sanctorum, & totius Ecclesiæ, quanto odio auerfaretur libros hæreticorum, discimus ex ipsius Pachomij vita *cap. 27.* vbi specialiter traditur, virum sanctum, Origenis, quem hæreticum habebat, execratum esse volumina, & vniuersos Fratres sollicitiùs admonuisse, vt non solùm ipsi Origenis libros refugerent, sed ne legentibus quidem aures præberent: præibatque ipse exemplo. Aliquando enim volumen Origenis cum reperisset, aquis illud confestim merfit, & aliis Monachis vt idem præstarent, autor fuit, vt *ibidem c. 45.* proditnr: additùrque *cap. 53.* morientem quoque id infixisse. Quòd autem Origenis volumen merferit potius, quàm combusserit, causa refertur, quòd nomini *Dei* scripto in eodem volumine, parcirum voluerit. Sed an non immerfitio, æquè perditura erat *Dei* nomen?

20. Posterioribus seculis, idem studium sacrorum excubitorum est proditum. Vix Sedem Constantinopolitam tenuit S. Chrylostomus, cum omni ope annisus est, &

& suffragante Theodosio Imperatore perfecit, vt pulsus ex urbibus Montanistis, & Eunomianis, eorum codices comburerentur. Chrysostomo enim auctori, & incensori, debetur lex Theodosij aduersus hæreticos illos, & eorum scripta, quæ est 34. in Codice Theodos. tit. de hæret. Nec ita multo post, Ephesina Synodus, Nestorij libros curauit vbique flammis addici, per Theodosium Imperatorem, datis ad eum synodicis literis, quæ *tomo 1. Concilij Ephesini cap. 22.* & apud S. Cyrillum leguntur: caroque sterisse pio Monacho, quod librum Nestorij cum alio volumine, (vt fit,) compactum, aliquandiu apud se nescius habuisset, ex diuino viso prodit Ioannes Moschus *cap. 46. Limonarij.*

Manichæorum reliquiis, lupis planè sub ouina pelle Romæ deprehensis, infremuit in eos, (vt cum Photio dicam,) voce robusta Leo: quod eius sermo 4. *de collectis*, & sermo 5. *de ieiunio decimi mensis*, & sermo 4. *de Epiph.* quartus item *de Quadrag.* & 7. *de Natali Dom.* abundè produnt. Præter cætera verò pastoralis sollicitudinis argumenta, codices eorum omnes, à S. Leone incensos, Prosper in *Chronico ad annum 446.* tradit, magnas codicum illorum moles interceptas referens. Gelasium Papam, summo studio annisum, vt lolo librorum hæreticorum Ecclesiam purgaret, non modò decretum eius in Concilio Romano, quod est à Gratiano exscriptum, *C. Sancta Romana*, abundè prodit, sed etiam quod concrematos ab eo ante S. Mariæ ædem libros Manichæorum, scribit Anastasius: id quod æquè à Symmacho Papa ad Constantinianæ Basilicæ valuas præstitum, refert liber de Romanis Pontificibus. Et cum denuò stirps infauista sub Hormisda Pontifice pullularet, succisam ab eo Apostolica animaduersione, crematis præter cætera codicibus, scribit Anastasius.

In V. Synodo, immediatè ante canonem 1. ita sancitur aduersus hæreticorum libros. [In memoria tenentes promissiones de Sancta Ecclesia factas, & qui dixit, quod *porta Inferni non praualebunt aduersus eam*, id est, hæreticorum mortiferæ linguæ; recordantes autem, & quæ per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit, & *sponsabo te mihi in fide*, & *cognosces Dominum*; hæreticorum quidem effrænatas linguas, & eorum impiissima conscripta, & eosdem ipsos hæreticos, qui vsque ad mortem in sua impietate permanserunt, patri mendacij Diabolo connumerantes, illis dicemus: *Ecce vos omnes ignem accendistis, & conualescere facitis flammam ignis, ambulabitis in lumine ignis vestri, & per flammam quam accendistis.*]

Testatur insuper Anastasius in Adriano II. & *præfat. ad VIII. Synodum*, librum aëtorum Photij aduersus Nicolaum Papam, ipsiusmet Photij fœtum, per Legatos S. Ignatij Patriarchæ, & Basilij Macedonis, pedibus conculcatum, & gladio perfossum, moxque decreto Synodi Romanæ, cui Adrianus præerat, apud S. Petrum, repetito in Photium autorem anathemate, fuisse combustum; cælo ipso suffragante: nam superueniens subitò pluuiæ eluuius, non modò ignem non restinxit, sed etiam incendit vehementiùs, piceo fœtore ex incendio fœtentrissimi voluminis, vbertimè inhalato. Iussu porrò eiusdem Pontificis cautum esse, vt eodem modo, quo Romæ, flammæ impiis Photij scriptis iniectæ, Constantinopoli, descriptoris nequitia pœnas sumerent, ibidem proditur: & ita factum esse, liquet ex VIII. Synodo, *actio. 8.*

vbi in epistola ad Basilium Augustum, Adrianus ita vult [omnia exemplaria cremari igne, contemplantibus cunctis, vt ne vnus quidem apex, aut iota, inde superfit.] Berengarius item in Concilio Romano, iussus est à Nicolao I I. coram 113. Episcopis ignem ipsemet succendere, & in eum conicere librum hæreticum, vt scribit Lantfrancus initio confutationis Berengarij. Liber ille hæreticus, quem Berengarius hæreseos suæ fontem habuerat, & quem ideirco adactus est ipsemet in ignem conicere, erat liber Ioannis Scoti, vt est in fragmento historiae Aquitanicæ. Quem dicam Ioannem Scotum, cumque fuisse à Dunfio diuersum, frustra moneor admonere, cum sit euidentissimum.

22. Postulatis quoque Concilij Remensis annuens Innoc. I I. *epist.* 16. apud Abelardum, libros errorum Petri Abelardi, & Arnaldi de Brixia, incendio damnauit: idque de Abelardo Gaufridus Clareuallensis 1. libro eorum, quos de S. Bernardi vita scripsit *cap.* 5. disertè prodit, & iam antè factum Sueffione à Legato Romanæ Ecclesiæ, testatur S. Bernardus *epist.* 193. quæ est ad Iuonem Cardinalem, & *epist.* 191. quæ est ad Innocentium I I. nomine Concilij Remensis; vbi liber Abelardi *de Trinitate*, igne examinatus dicitur, quia inuenta est in eo iniquitas, queriturque *ibidem* S. Bernardus, surrexisse à mortuis librum illum, & cum eo multorum hæreses, quæ dormierant, surrexisse & paruissè multis. Libros Davidis de Dinanto tanquam hæresibus scatentes, damnatos esse atque exustos, & quòd eius erroribus occasionem præbuisse viderentur libri Aristotelis de naturali Philosophia, seu Metaphysica, recens allati Constantinopoli, eosdem quoque in Concilio Prouinciali Parisiis celebrato sub anathemate veritos & igni addictos esse, ex Rigordo, & aliis scribit Henricus Spondanus *in supplemento historico, anno 1204. num.* 18. In Concilio Romano interdictum esse lectione librorum Wicleffi, refertur, & firmatur in Concilio Constantiensi *sess.* 8. Concilium Later. sub Leone X. *sess.* 10. Libros hæreticos proscripsit. Adrianus V I. datis ad Bambergenses literis, grauissimè dehortatus est à lectione librorum Lutheri. Et suffragatum Deum insigni miraculo sub illud tempus, immissa valida febre homini ea lectione distento, à qua febre non prius liberatus est, quàm librum flammis dederet, scribit Rescius *lib.* 5. *vita Card. Hosij cap.* 5. Tandem Tridentina Synodus quorumcumque hæreticorum libros, tanquam malæ messis certam sementem, exterminauit: & hanc esse vestem leprosi, quæ *Leuitici* 13. iussa est comburi, scitè prosequitur Rupertus *lib.* 2. *in Leuit.* c. 23.

Priuatorum item fidelium iustus ardor in Hæreticorum libros.

23. Non igitur ratione duntaxat fortissima, quam initio dedimus, sed etiam praxi perpetua Christianitatis, vtròque, (vt ita dicam,) brachio, & Ecclesiastico, & laico armatæ in libros hæreticorum, perspicuum est, eam pestem esse quàm diligentissimè auersandam, meritòque libros huiusmodi ab iis, quorum interest, suffigi atque proscribi, ipsi fideles, vel silentibus Principum, ac Ecclesiæ legibus, vtrò hæc nequitia instrumenta addicere ignibus sunt soliti. Exempla sunt vulgatissima; vnum sanè luculentum, nec aded antiquæ memoriæ,

motiæ, quod Annibal Codretus ad Iacobum Laynium Soc. Iesu Præpositum Generalem Tridenti in OEcumenica Synodo agentem perscripsit. ex Sacchini historia nostra ad annum 1562. quo id contigit, annotabo. Isidoro, vulgò *Iffoire*, vrbe Atuerniæ, spelæo hæreleos per annos complures, tandem ab exercitu Catholico in deditioem accepta, Edmondus Augerius Christianus Orator non ex genere citharædorum, sed potens ac Apostolicus, eò aduocatus est, tantòque motu animòrum rem Christianam curauit, vt intra tempus perbreue, ad mille quingentos in Ecclesiæ caulas renocarit. Orationem verò 40. horarum cum instituisset, eaque conclusa augustissimum Christi corpus per urbem circumferretur, qui libros habebant hæreticos, gratam fragrantiam in platea excitauerunt, iis libris, quæ Christi corpus transibat, igni datis, incenso acceptissimo. Hi ignes, si crebri, & luculenti excitarentur, non dubium quin purgando Christiano cælo, & peste animorum, quæ librorum maximè virulentia grassatur, festinatò auertenda, magnum compendium fieret, & impietatis diffusio facile præcluderetur; fatendum enim est, nullo magis instrumento impietatem foueri, & promoueri, quàm librorum.

Quamquam Nazianzenus *orat. 2. de pace num. 31.* vt ibi notauit Billius, scripta hæreticorum, quia nihil boni inde paritur, contulit ouis subuentaneis, sic de eis scribens. [Lepidos, & elegantes vestros fœtus, imò abortus, cognoscemus, cum ruptis, aut dura, & solida disputatione confractis, aspidum ouis vana ea, & subuentanea esse, apertè demonstrauerimus, abditumque in ipsis pietatis basiliscum in medium protulerimus. Basiliscum quidem illum, cæterum mortuum, & imperfectum, ac motu carentem, ipsisque partus doloribus immortalum, ac priusquam gignatur, extinctum. Libet enim verbis vestris uti, vt nonnihil gratiæ apud vos ineam ob conceptionem, non minùs detestabilem, quàm ob abortum miserabilem.]

Vtinam tamen scripta talia conferri possent cum ouis subuentaneis quoad impietatem, ita vt non posset inde sobolescere impietas: quod experimento assiduo, nimium quantum, deprehendimus fieri. Meritò igitur libri huiusmodi perduntur, & addicuntur ignibus.

Quæ subducendis exitio Hæreticorum libris, commodare visa, disiecta.

Duo in contrarium opponi possunt. Vnum ex decreto Zachariæ Papæ, ventantis quod Synodus Romana iusserat, cremari libros Adalberti, insani hæretici. Alterum quòd in libris hæreticorum multa sint bona, & vtilia. Sed neutra oppositio est idonea: nam Zacharias Papa in ea epistola quæ habetur 138. inter epistolas S. Bonifacij, & in Concilio Romano quod in causa Adalberti Galli, & Clementis Scoti habuit, prolata quidem Adalberti scripta, subici ignibus noluit; quod faciendum censuerant Patres; verùm ea in re non consuluit incolumitati librorum hæreticorum: sed ad perpetuam, (vt ait,) confusionem illius Adalberti, & eius sectatorum, voluit exemplar vnum eorum seruari in scriniis Romanæ Ecclesiæ. Quòd enim libri illi facti essent impietatibus crassissimis, & apertissimis, quarum defloratio habetur in eo Concilio: Adalbertus autem à plerisque haberetur vt sanctus; interfuit Ecclesiæ,

eius

24.

25.

eius libros non prorsus petri, ut si quando res ferret, ex operibus probaretur impietas auctoris.

26. Nec item refert, quod ad subducendos huiusmodi libros exitio, obtendisse suo tempore nonnullos, testatur Thomas Waldensis in doctrinis præmissis ad doctrinale fidei antiquæ, *doctr. 6.* eisdemque postea ab aliis, in Belgio, & Lutetia, vel imprudenter, vel dolose iactatum, scribit Alphonsus de Castro *lib. 2. de instâ hæretic. punit. c. 16.* nimirum multa bona reperiri in hæreticorum libris, ac proinde damnandos non esse, sed iis, quæ inibi mala sunt, improbatis, quæ pura, & bona sunt, (iuxta Apostoli monitum,) tenenda esse. Hoc, inquam, non refert; nihil enim hæreticis familiarius est, quam bona quædam permiscere pessimis, ut eisdem illâ quorundam bonorum pellectus incautus lector, voret hamum perfidiæ in exitium suum, & certam ruinam. Ignes suppositi cineri doloso, sunt periculosiores: quod de his libris, & inserto impietatibus bono quoque, videtur verissimum. Quare idem de libris hæreticorum, & stillis aliquibus boni mellis, multæ amaritudini peruersorum dogmatum infossis, statuere merito liceat, quod de propinantibus venenum in aureo calice, labris eius melle perlitis. Egregiè id tradit S. Leo *epist. ad Turibium c. 15.* de libris Priscillianistarum agens.

Puleherrimè item Beda suorum in Cantica commentariorum principio, cum monuisset Iuliani Celanensis, Pelagianorum disertissimi, lucubrations in Cantica, magnam Lectoris attentionem deposcere, ut bonum carpens, à spinis caueret, subiicit, prudentius quoque facturum, si prorsus abtineat plena periculi lectione: ne dum boni quippiam captat, unâ præsentissimum virus hauriat, & pereat. Quod aptat illud Maronis,

Qui legitis flores, & humi nascentia fraga;

Frigidus, (ô pueri fugite hinc,) latet anguis in herba.

27. Ego eodem iure, huc aptarim illud Origenis *lib. 1. in Iobum.* [Diabolus adversum nos, mille modis, ac multipliciter dimicat, congregatur, & tentat, insidiatur. Seducit, atque subvertit per multitudinem hæresum, per innumeros errores, per abundantes seductores, per pseudochristos, ac pseudodoctores, quibus hic mundus repletus est, quos nequissimus seminavit, quos atrocissimus ille produxit, quos malignissimus fecit, florem, & fructum in infidelitate, atque errore afferre cœgit, quibus hic, (ut diximus,) mundus repletus est; qui venerunt & veniunt in verbo Domini, in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, nomen Christianorum habentes, atque speciem pietatis, & erroribus ac impietatibus atque seductionibus, referti sunt. Isti sunt veræ ianæ mortis, & viæ inferni. Isti sunt qui à veritate plurimos prævaricantur, & à fide innumeros aberrare faciunt. Isti sunt ministri maligni Diaboli, atque nuncij veritate carentes. Isti sunt cæci, duces cæcorum. Isti sunt nubes sine aqua, nebula à tempestate fugata, quibus caligo, vel nebula interiorum tenebrarum dignè servatur, atque custoditur. Istos ergo fugiamus, ô viri; istos late deitemus, ô amici; istos odio habeamus, & infidelitatem, atque errorem qui in eis est, velut flammam ignis declinemus; pro eo ne cum illis flammæ inextinguibili in die furoris atque revelationis iusti iudicij Dei, mancipemur.] Itaque quantumvis pia, & pura, ac nitentia esse videantur, quæ leguntur in hæreticorum libris, admista
- lolio

lollio impiæ doctrinæ, meritò habentur suspecta, & ab iis, qui sibi bene consultum volunt, refugiuntur, tanquam contaminata per eam admisionem.

Nihil verò esse in libris hæreticorum, siue loquentiam, siue materias consideres, quod in Catholicorum libris aliorumve qui sine periculo legi queant, non habeatur, colligitur ex S. Irenæo *lib. 3. cap. 4.* & late confirmatur ab Alphonso de Castro *lib. illo 2. cap. 16.* Et ut aliquid ignorandum esset absque huiusmodi libris, præstaret, (quod D. Augustinus *serm. 31. de verb. Apost.* dixit de hæresibus,) illud ignorare, quòd sit ista ignorantia turior. Cauendi ergo hi libri ne exitium legenti aduoceetur, iuxta Clementem Alexandrinum *5. Stromatum, cap. 1.* Neque tamen inficior, quin personis à pericia & pietate bene constitutis, quia periculum nocuementi inferendi abest, & ad Ecclesiæ rationem necessaria est eorum opera, fas sit ab iis, quorum interest, exorare facultatem libros illos legendi; id enim infra monstrandum est. Et has esse falsas reliquias, quas residui diuinæ gentis possident, scitè profequitur Rupertus *lib. 2. in Sophon.*

Tantum de hoc hæreseon plantario iusta censura eradicando, non enim aliunde magis gliscant hæreses, quàm interuentu librorum. Pleniùs in hanc rem disputant, quos consulere per orium licebit, Alphonfus de Castro *de iusta hæretic. punit. lib. 2. cap. 15. & 16.* Conradus Brunus *lib. 6. de hæretic. cap. 6. & 7.* Bellarm. *lib. de laicis cap. 20.* Ricciullus *lib. 5. de iure person. extra Eccles. cap. 21.* Gabriel Putherbæus *de tollendis malis libris, lib. 3.* Baptista Cardona *lib. de expungendis hæreticorum autorum nominibus.* Quæ enim ibi habet quoad libros arguenti non reprobi, multo magis valent quoad hæreticorum libros, hæreticos abolendos. Iacobi Gretheri opus *de iure prohibendi libros hæreticos*, serò admodum ac post ista pridem còscripta venit in manus meas supplementum bipartitum eiusdem operis, quòd inter varia theologica opuscula, postea edidit, legi iam olim. In Epimetro ad illud opus de malis libris, per octo prima capita, fusè demonstrat, quantum semper fuerit hæreticorum antiquorum, ac recentiorum studium, ut libri Catholicorum, qui ipsis habentur hæretici, exterminentur. Itaque ex ore suo iudicantur.

28.

EROTEMA IV.

*Athei, & nullius religionis libri, num
improbandi?*

Hæreticis adiungo Atheo, quòd è duplici Atheorum genere, quos Philotheus Constantinop. *orat. de vrbis SS. Patris*, recenset, teriores sint hæretici, etiamsi ordine temporis posteriores, ut idem obseruat: præterquam quòd sedimentum hæreseos, est Atheismus, ut dixit Clemens Alexandrinus. Itaque rectè subiungitur hæresi.

19.

C

Libri